Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 17 (1903)

Artikel: De maiestate pontificis romani
Autor: [s.n.]
DOI: https://doi.org/10.5169/seals-761813

Nutzungsbedingungen
Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Siehe Rechtliche Hinweise.

Conditions d'utilisation
L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. Voir Informations légales.

Terms of use
The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. See Legal notice.

Download PDF: 29.11.2024

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, https://www.e-periodica.ch

ERNESTI COMMER

DE MAIESTATE PONTIFICIS ROMANI

ORATIO

HABITA VIENNAE IN SCHOLIS UNIVERSITATIS LITERARUM RUDOLFINAE DIE ANNIVERSARIO XXV., QUO LEO XIII. P. M. CORONATUS FUIT.

Cum dies faustissimus, quo ante quinque lustra Leo XIII. Pontifex Maximus coronatus est, auditores ornatissimi, in Universitate literarum Rudolfina publice celebrari proh dolor nequeat; tamen privatim tamquam in latebris scholarum penetralibus videtur esse nobis colendus summa cum laetitia, quem albissimo lapillo numeremus oportet. Quare, sicut nuper in pervigilio Natalis Christi ad primam praesepis Ecclesiam vos convocavi,[1] iterum hodie ad arcem Ecclesiae Romanam, cui summus sacerdos tergemino diademate ornatus praeest, feliciter completis D. Petri annis, ingenti cum desiderio vos invitatos volo, ea praesertim ratione motus, quod, quos audivi laudes Leonis dicere, eos et pro rerum gestarum copia meritorumque abundantia et pro ipsius pontificiae dignitatis amplitudine plurima dictu necessaria omisisse deprehendi. Etenim, quod maxime dolendum est nostra hac miserrima aetate, splendor ac vis, quam tremendam sancta Ecclesia catholica habet, non tam ab infidelibus hominibus, quam ab ipsis catholicis modernis ignoratur, qui tum nescientes immensa beneficia a Deo per Christum Redemptorem nobis collata, tum seducti a malo huius aetatis genio, qui liberalis audit, opera providentiae divinae mira recognoscere nolunt, et specie libertatis auctoritatem tanti Pontificis Romani potius negligunt deserunt contemnunt. Itaque, ne Leonis patris dilectissimi vanam laudationem facere videamur, equidem de maiestate Summi Pontificis, quae qualis sit, disserturus sum, unde, ipso supremi pastoris munere probato, quomodo ille et de Ecclesia et de humana societate optime meritus sit, certius intelligatis. Quaeso igitur, iuvenes amicissimi, audiatis me ea confirmati fide, quam profitemini credentes in unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, extra quam nemo salvus esse potest. Quae cum mater nostra

[1] Vide sis horum Annalium vol. XVII. p. 370.

sit foecunda ex gratia naturae vires superante, Romanum quoque Pontificem ut patrem aeque colere amare et sequi oportet: ubi enim Leo, ibi Ecclesia.

Ab ipsa igitur Ecclesia describenda initium disputationis nostrae capiendum est. Quam sanctam Dei Ecclesiam Paulus apostolus dicit esse corpus Christi et plenitudinem eius.[1] Est enim Ecclesia, inquit ipse Leo XIII. P. M., civitas sancta Dei viventis,[2] Deo ipso nata eodemque auctore constituta: quae peregrinatur quidem in terris, sed vocans homines et erudiens atque deducens ad sempiternam in coelis felicitatem.[3] Quod quasi corpus[4] morale ac mysticum ipse sibi Christus e membris fidelibus convocatis ita exaedificavit, ut in hoc commercio mysterium Incarnationis perenne exerceretur ad finem usque saeculorum. Quare ipse, qui Verbum Dei Incarnatum est plenum gratiae et veritatis,[5] ad corpus humanum assumptum nova membra ex hominibus per gratiam internam et per baptismi sacramentum tamquam suae divinitatis organa perficienda in individuam totius vitae supernaturalis consuetudinem ita perpetuo aggregavit apteque coagmentavit, ut exhiberentur omnes homines cuiuscunque conditionis perfecti in Christo Iesu.[6] Quia autem Ecclesia propter Christum instituta est, sicut corpus propter animam, cuius scilicet distincta membra deserviant oportet diversis animae operibus, ideo Ecclesia ipsa est plenitudo quoque Christi, ut omnia, quae virtute sunt in Christo, quodam modo in membris Ecclesiae impleantur. Omnes enim sensus spirituales omniaque dona, et quaecunque in Ecclesia esse possunt, cum haec omnia abundantius in Christo sint, necesse est ab ipso deriventur in membra Ecclesiae et perficiantur in eis:[7] nam de plenitudine eius omnes accepimus.[8] Itaque Christus caput est Ecclesiae, ipse salvator corporis eius:[9] qui una cum Ecclesia unum corpus totum supernaturaliter vivum et a Spiritu Sancto animatum atque subsistens

---

[1] Ep. ad Ephes. 1, 24.

[2] Ep. ad Hebr. 12, 22.

[3] Epistola Encyclica „Exeunte iam anno". (Leonis XIII. Epistolae Encyclicae, ed. Herder Friburgi Brisgoviae 1893, 3. series p. 71.)

[4] Ep. ad Coloss. 1, 24.

[5] Ev. Ioan. 1, 14.

[6] Ep. ad Coloss. 1, 28. Cf. Leonis XIII. Ep. Encycl. laudata p. 83. 91.

[7] D. Thomas: in ep. ad Ephes. c. 1 lect. 8. (Opera omnia, Parmae 1852 vol. 13 p. 455 sq.)

[8] Ev. Ioan. 1, 16.

[9] Ep. ad Ephes. 5, 23. Cf. D. Thomas in h. l. lect. 8 (p. 485) et in ep. ad Coloss. 1, 18 lect. 5 (p. 537 sq.)

per se et separatim ab omnibus aliis hominum societatibus conficit quasi unam moralem personam ex multis personis congregatam, quae perfecta societas vel consortio et divina et humana sui generis credatur.[1] Sic igitur Verbum Incarnatum ad propriae Unionis hypostaticae quodam modo amplificandam ceteros quoque homines unione Ecclesiae divinae humanaeque congregare voluit et amplecti: quando quidem, teste doctore angelico, Christus et Ecclesia est una persona mystica, cuius caput est Christus.[2] Qui cum ad genus humanum reparandum mitteretur, constitutis apostolis,[3] opus prosequendum ita per omne tempus reliquit Ecclesiae conditae, ut inter legationem Christo a Patre concreditam et legationem Ecclesiae, quoad substantia rei efficere potest, nullum discrimen servaretur.[4]

In eadem autem Christi plenitudine, quam vocamus Ecclesiam, maximus, uti decet, ordo pulcherrimusque invenitur, cuius unitas tamquam suprema lex servatur. Etenim praeclare S. Cyprianus: Ecclesia, inquit, una est, quae una intus esse et foris non potest.[5] Cuius unitatis Clemens Alexandrinus profundam reddidit rationem: Nam cum unus sit Deus, ait, et unus Dominus, exinde praesertim venerabile celebratur, quod solus sit, utpote quod sit imitatio principii, quod est unum. In unius ergo naturae sortem cooptatur Ecclesia, quae est una, quam haereses in multa discindere conantur. Ergo et re et cogitatione et principio et excellentia solam dicimus antiquam et catholicam Ecclesiam.[6] Haec ille. Itaque divinus artifex, cum Ecclesiam Dei vivi, quae est columna et firmamentum veritatis,[7] vellet tamquam domum firmissimam supra petram ita exaedificare, ut portas inferi non praevalerent adversus eam,[8] petram illam unum Petrum virum fundamentum singulari quadam praerogativa voluntatis suae posuit. Ad quem eligendum multae eum rationes movisse creduntur,[9]

---

[1] Cf. Oratio in pervigilio Natalis Christi a nobis habita l. c. p. 378.

[2] D. Thomas: in ep. ad Coloss. c. 1 lect. 6 (vol. 13 p. 538). S. th. 3 qu. 49 a. 1 c.

[3] Vide Cardinalis Francisci Segna opus de Ecclesiae Christi constitutione et regimine, Romae 1900, p. 15 sq.

[4] Henricus M. Pezzani: Codex sanctae catholicae Romanae Ecclesiae, Romae 1893, P. I. p. 51, 36. Cf. Card. Camillus Mazzella: De religione et Ecclesia n. 482 sq. Ed. 4. Romae 1892 p. 387—91.

[5] S. Cyprianus: ep. 76. ad Magnum n. 3.

[6] Clemens Alexandrinus: Stromat. lib. VII. (Ed. Paris. 1629 p. 765.)

[7] Ep. 1 ad Timoth. 3, 15. Cf. D. Thomam in h. l. lect. 3 (vol. 13 p. 601). [8] Ev. Matth. 16, 18.

[9] Card. Ioan. de Turrecremata: Summa de Ecclesia lib. 2 c. 17. (Ed. Venet. 1561 fol. 121 sq.) Cf. opus praestantissimum sani theologi

quarum prima fuit gloriosissima fidei confessio a beato Petro publice emissa, qua Christum hominem magistrum Filium Dei fassus et duas naturas et unam eiusdem divinam personam palam testatus est. Sed et idem discipulus praevisus fuit primus, qui fidei Christi fundamenta in nationibus iacturus esset praedicando. Tum propter constantiam singularem atque inconcussam fidei firmitatem, qua aliis quoque factus est fundamentum atque robur; tum propter eiusdem magisterium invictum, quod suae cathedrae reliquit; denique propter auctoritatem singularem sedis Romanae, in qua mortuus est, prae omnibus electus fuit. Quare idem quoque, a quo pontificius ordo incepit, solus inter apostolos ab ipso Domino episcopus creatus ordinatusque esse ante alios creditur.[1] Cum autem illa pars rei, quae primo generatur, et ex qua generatio rei incipit, intrinsecum principium apud philosophos dicatur; similiter quod primo in domo fit, est fundamentum.[2] Quod quidem nominat id, in quo aliquid firmatur quantum ad suam quietem.[3] Ipse igitur Christus petra est primarium domus spiritualis[4] fundamentum, uti Paulus aperte docet: Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.[5] Alterum vero fundamentum additum ipsi summo angulari lapidi Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino,[6] dicitur doctrina apostolorum et prophetarum,[7] qua accepta ipse Christus crucifixus accipitur.[8] Quorum apostolorum vis tota sustentandi molem ab ipso summo fundamento Christo derivatur ordine optimo. Itaque cum ordo ille, qui in Ecclesia divinitus constitutus est, postulet, ut unus in tota universitate reipublicae christianae summus princeps, rector et gubernator[9] ad pacis unitatem procurandam[10] credatur; Dominus ipse, uti S. Cyprianus praeclare dicit, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit:

Venerabilis Servi Dei Ioannis de Palafox et Mendoza Episcopi Oxom. olim Angelopol.: Excelencias de S. Pedro, Matriti 1659, cuius exstat versio italica auctore Fr. Antonio a Regibus Carmelitano excalc.: Dell' Eccellenze di S. Pietro, Romae 1788 tomi 3.

[1] Turrecremata: S. de Eccles. lib. 2 c. 32 (fol. 144 sq.).

[2] D. Thomas: in Metaphys. lib. 5 lect. 1.

[3] Idem: Sent. 3 dist. 33 qu. 2 a. 1 qu. 2 ad 2.

[4] Ep. 1 Petri 2, 5.

[5] 1 Cor. 3, 11.

[6] Ep. ad Ephes. 2, 20 sq.

[7] D. Thomas: in Ephes. c. 2 lect. 6 (v. 13 p. 464 sq.).

[8] Ep. 1 ad Cor. 1, 23 et 2, 16.

[9] Cf. D. Thomas: S. c. gent. lib. 4 c. 76. Hieronymus Savonarola: Triumphus crucis lib. 4 c. 6. (Ed. Ferretti, Siena 1900, p. 368.)

[10] D. Thomas: de regim. Princip. lib. 1 c. 2.

et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur.[1]

Cum autem fundamentum spiritualis aedificii principalius non sicut in materiali domu sit infimum, sed, quo sublimius est, a Deo de coelo demittatur;[2] ideo Simon Petrus, servus et apostolus Iesu Christi,[3] qui super illum unum aedificat Ecclesiam suam,[4] eo ipso quod petra fundamenti iacitur, caput quoque sanctae universaeque Ecclesiae,[5] quod corpus mysticum dicitur, ordinatus et creatus est. Ad capitis vero rationem[6] quod attinet, Petrus similitudine naturalis capitis, quod in vivo hominis corpore eminet, quamquam aequalis et par reliquis hominibus natura, tamen ipse in ordine apostolorum primus factus est, in quo solo potestas plenissima a Christo commissa ita vigebat, ut ab eo solo omnis potestas iurisdictionis atque imperii in ceteros ministros deduceretur.

Quaeso tamen, auditores, cavete, ne Petrum aliud a Christo caput Ecclesiae credatis. Etenim si proprie vereque dicendum est, Christus et Petrus non sunt duo capita distincta, sed unum tantum est caput Ecclesiae ipse Christus, cuius invisibilis capitis loco Petrus crebra facie animos videtur impellere: quare vir beatissimus non nisi caput vicarium, quod re ipsa ab originali Christo non differt in auctoritate, est credendus. Itaque negamus, Ecclesiae esse duo capita distincta; sed potius affirmamus, Ecclesiae esse unum caput in duabus personis distinctis, Christo scilicet et Petro. Ergo Christus Petrum, apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput,[7] vicarium suum generalem statuit, qui sit et petra visibilis, super quam unam principalemque visibilis ipsa Ecclesia aedificatur, et totius orbis summus magister et doctor ad confirmandos in recta fide fratres, ac pastor supremus, cui pascendas mandat oves suas,[8] quas inter reliqui quoque apostoli connumerantur:[9] cui soli primatum verae

---

[1] S. Cyprianus: De unitate Ecclesiae. (Ed. Balut. Venetiis 1758 col. 463.) Vide sis Card. Zigliara: Propaedeutica ad S. Theologiam lib. IV c. IX n. I. (Ed. 4. Romae 1897 p. 417 sq.)

[2] Cf. Apocal. 21, 2. D. Thomas: in ep. ad Ephes. c. 2 lect. 6 (l. c. p. 465).

[3] Ep. 2 Petri 1, 1.

[4] S. Cyprianus l. c.

[5] Turrecremata: S. de Eccl. lib. 2 c. 20 (fol. 134).

[6] Cf. D. Thomas: in ep. ad Coloss. 1, 18 lect. 5 (v. 13 p. 537); in Eph. 1, 23 lect. 8 (p. 455) et 5, 23 lect. 8 (p. 495).

[7] Concil. Vatican. sess. 4 Const. 1 cap. 1 (Denzinger, Enchirid. n. 1669); cap. 2 (n. 1670).

[8] S. Cyprianus l. c.

[9] Cf. Zigliara l. c. p. 418–420.

propriaeque iurisdictionis[1] super universam Ecclesiam immediate tradidit.[2] Ubi ergo Petrus, ita Ecclesia, ait S. Ambrosius.[3]

Cum autem ipsi Petro defuncto alius in apostolici primatus amplitudine succedere oporteret, ne ordo monarchici regiminis et unitatis ecclesiasticae cessaret, Ecclesia ipsa usque ad finem seculi duratura, manifestum est, ministerium capitis universum perpetua successione confirmatum fuisse.[4] Itaque Dominus Ecclesiae hanc firmissime asseverandam amplitudinem potestatis et principatus eminentiam, per quam Ecclesia et mundo et diabolo resisteret, Petro semel ac simul successoribus postremis contulit.[5] Qui Petrus universae Ecclesiae episcopus factus a principio nullam sedem sibi propriam definivit; sed postquam Antiochia Romam rediit, iubente Domino, illic suam transtulit sedem episcopalem, in qua beate requievit. Primatus vero in Ecclesia, qui episcopatus universalis est, et Romanus episcopatus, non sunt duo pontificatus actu distincti, sed unus tantum, qui virtute sua duobus aequari potest.[6] Unde, ait Caietanus doctissimus theologus, non se habent sicut duo episcopatus uniti: non erat siquidem in Romana Ecclesia episcopatus ante Petrum, sed ipse Petrus Romanam Ecclesiam erexit in pontificatum non alium quam suum, quem secum vehebat, ita quod pontificatum, quem a Christo habuit relatum ad Ecclesiam catholicam, retulit ipse Petrus ad Ecclesiam Romanam appropriando sibi illam. Confert autem non nihil haec pontificatus unitas ad hoc, ut idem sit Romanus pontifex et pontifex Ecclesiae catholicae, non solum unitate personae, sed identitate pontificatus.[7] Haec ille vir insignis. Itaque morte D. Petri in urbe et mandato Christi, quod eidem sive divino instinctu sive signo manifestatum atque singulari circa sedem Romanam providentia divina approbatum est, haec sedes iure divino inseparabiliter cum pri-

---

[1] Conc. Vatic. l. c. cap. 1 (n. 1668).

[2] Cf. D. Thomas: S. c. gent. lib. 4 c. 76 n. 4. Card. Caietanus: Comm. in Sum. theol. 2. 2. qu. 33 a. 4 ad 2. De auctoritate Papae et Concilii, tract. 1 cap. 4. (Opuscula omnia Thomae de Vio Caietani, Romae 1570 T. I.)

[3] S. Ambrosius: De sacramentis lib. 3 c. 7.

[4] D. Thomas: S. c. gent. lib. 4 c. 76. S. th. 2. 2. qu. 1 a. 10 a. Savonarola: Triumphus crucis lib. 2 c. 6 (p. 372); lib. 3 c. 16 (p. 286). Turrecremata: S. de Eccl. lib. 2 c. 36 (fol. 149 vo), c. 63 ad 15 (f. 186). Concil. Vatican. l. c. cap. 2 (n. 1670).

[5] Caietanus: De auctoritatae Papae tr. 3 c. 3. (Op. T. I fol. 33 col. 2 B.) Cf. Ludovicus Billot: Tractatus de Ecclesia Christi. Qu. 14 coroll. 1. Tom. III. Romae 1900 p. 127.

[6] Caietanus l. c.

matu coniuncta fuit.[1] Quare legitimus successor Petri in particularis Ecclesiae Romanae episcopatu, quem in cathedra Lateranensis basilicae princeps apostolorum ipse instituit, solus quoque Petri in episcopatu successor et eo ipso summus episcopus universae Ecclesiae creatur. Est igitur de necessitate salutis aeternae, Romanam Ecclesiam credi supremam inter omnes. Unde Concilium Tridentinum de fide docuit, sanctam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem esse et magistram.[2] Et Vaticanum hanc fidem statuit: quicunque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet.[3] Denique Pius IX. P. M. docuit, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri omnino non posse, sive alicuius concilii generalis sententia aut universorum populorum facto.[4]

Quae cum ita sint, Romanus Pontifex canonice electus[5] est solus germanus B. Petri successor in primatu, quem non ab Ecclesiae collegio, sed ab ipso Christo Domino directe accepit, ab eodem Christo rege per Petrum ipsum institutus. Ecclesia enim, quam Cardinales in conclave collecti repraesentant, non facit papam eligendo, sed tantum designat personam, quae subito ex mandato Christi primario illam potestatem tamquam Petri hereditatem possidet.[6] Qui pontifex creatus nec proprie vicarius D. Petri dici potest,[7] cui aequalis iure successor est, cum ipsius Christi Domini vicarius in terris generalis factus, vicem Christi et personam et potestatem atque maiestatem ita repraesentare debeat, ut iudicium a Romano Pontifice latum ipsius Dei iudicium ab omnibus credi necesse sit. Quare plane eodem modo, quo ipse Petrus, Romanus quoque Episcopus apostolicus simul cum Christo Domino caput est universum totius Ecclesiae militantis, in quam et veritatem a Deo revelatam et ab errore immunem conservatam necnon motum salutarem membrorum ac regimen

---

[1] Mazzella: l. c. Disp. V. n. 941—45 p. 731—37. Billot: l. c. Qu. 14. §§ 2 et 3.

[2] Conc. Trident. sess. 7 de bapt. can. 3; sess. 22 de sacrif. cap. 8; sess. 25 de delectu ciborum.

[3] Conc. Vatic. sess. 4 Const. I cap. 2 (n. 1670).

[4] Syllabus Pii Papae IX. § 5 n. 35 (Denzinger n. 1583.)

[5] Turrecremata: S. de Eccl. lib. 2 c. 93 via 4 (fol. 293); lib. 3 c. 4 (fol. 321); lib. 4 P. II c. 9 (fol. 383). De Pontificis Maximi Conciliiq. Generalis Auctoritate. Venetiis 1563 fol. 9 n. 12. Caietanus: in S. th. 2. 2. qu. 1 a. 3 ad 4.

[6] Caietanus: De auctor. Papae tr. 1 c. 26 (fol. 14 col. 2 E).

[7] Cf. Segna: l. c. p. 46 nota.

tamquam universalis pontifex et rector catholicus Ecclesiae iniicit et ingenerat: qui si vellet rex quoque eiusdem Ecclesiae appellari posset,[1] cuius regina Ecclesia est.[2] Etenim Romanus Pontifex, super quod fundamentum Ecclesia continuo exaedificatur, quod etiam caput eiusdem vivum est, in eodem Christi mundo tamquam principalis et universalis causa, cui reliquae omnes causae particulares subordinantur,[3] est certissime habendus.[4] Unde idem etiam est Sponsus Ecclesiae universae[5] ministerio, quo agit cum Christo, cui particulares Ecclesias cum singulis fidelibus continuo despondet[6] ex officio. Nam in electione ipsa summi Pontificis matrimonium spirituale inter eum et universam Ecclesiam contrahitur, sicut idem inter ipsum Christum et Ecclesiam[7] stabilitum fuit.

Nemo igitur est, quin cernat, dignitatem Romani Pontificis esse plane singularem atque ingentem, qua nulla maior altior amplior atque divinior unquam exstitit in terra. Haec enim vero coniunctio eiusdem Pontificis cum Christi maiestate intima est, quem ipse Dei Filius inhumanatus, cum a Patre missus esset, ut instauraret omnia, plenissimae potestatis suae participem fecit. Quare imperium, quod penes Romanum antistitem est, non nisi ab ipso Deo O. M. restringi vel amplificari potest;[8] quia plenitudo illa potestatis in tota Ecclesia non solum similis est potestatis, quam Christus tenet, sed eadem omnino atque illa Christi propria, quam una cum vicario suo exercere non desinit.

Ergo Pontifex M. auctoritate iurisdictionis maior tota Ecclesia universa est,[9] unde ab ea deponi nequit: qui iudex omnium fidelium,[10] cum solus principatum atque imperium teneat,[11] quae-

---

[1] Turrecremata: S. de Eccl. lib. 2 c. 4 sol. ad 2 in resp. ad replic. (f. 120).

[2] Idem ib. lib. 2 c. 89 (f. 221). Cf. c. 113 prop. 2 (f. 263 vo).

[3] Cf. D. Thomas: S. th. 3 qu. 49 a. 1 ad 4.

[4] Savonarola: Pred. XXII sopra Ruth e Michaea (Luotto: Il vero Savonarola e il Savonarola di L. Pastor, Firenze 1897 p. 381). Sermo X sopra i Salmi (ib. p. 382).

[5] D. Thomas: Op. c. impugnantes religionem c. 4 (vol. 15 p. 22). Turrecremata: S. de Eccl. lib. 2 c. 7 (f. 140 vo); c. 28 (f. 141).

[6] Cf. D. Thomas: in 2. ep. ad Cor. 11, 2 lect. 1 (v. 13 p. 356).

[7] D. Thomas: 4 Sent. dist. 27 q. 1 a. 2 qu. 1 ad 2; qu. 2 a. 1 ad 6; qu. 3 a. 1 sol. 1; dist. 30 qu. 1 a. 3 ad 5; dist. 31 qu. 1 a. 2 obi. 1 et 4; qu. 2 a. 1 sol; dist. 38 qu. 1 a. 5 ad 1. In ev. Matth. c. 9 (vol. 10 p. 91); c. 25 (p. 228); in ev. Ioan. c. 3 lect. 5 (p. 354).

[8] Turrecremata: S. de Eccl. lib. 2 c. 44 (f. 156).

[9] Cf. D. Thomas S. th. 3 qu. 72 a. 11 ad 1.

[10] Conc. Vatic. sess. 4 Const. I cap. 3 (Denz. n. 1670).

[11] Ib. (n. 1675).

cunque inferiores magistratus propriis muneribus possunt, ipsemet sua potestate efficere valet. Qui fidem definit divinam iudicio, quo falli nequit,[1] et eam quoque iurisdictionem exercet, qua cupiditates vi coerceat:[2] cui propterea ab omnibus parendum obediendumque est.[3] Sed etiam in rebus profanis sublimiora quaedam possidet iura dirigendi tuendique et reges et populos, quibus pro solo humanae societatis bono ad iustum colendum et ad pacem conciliandam eum uti oportet.[4]

Itaque quod personam Ecclesiae universae totam gerit, cuius caput vivum est, notas quoque quatuor eximias, quae proprietates e natura verae Ecclesiae ultro sese profundunt, officio pontificio manifeste ostendit. Est enim unus rex, a quo una fides unumque imperium efficiuntur; sanctus est, munere Christi sanctissimi vicario perunctus, quo pastor supremus sacerdosque fideles cum Deo efficienter studeat coniungere; catholicus quoque vere dicendus est, quippe qui universis hominibus praeponitur, ut omnes ab ipso in via salutis doceantur ac regantur; denique apostolicus appellatur ipsius D. Petri principis successor, a quo tota domus Dei firmatur.

Ast ut tantae dignitatis maiestas, ad quam infirmus homo a Deo O. M. extolli potest, clarius a vobis intelligatur, consideretis velim, auditores, ipsum opus divinissimum, quo Verbum Dei carnem factum esse creditur. Quod quidem mysterium sublime, quia vires naturae omnes omnino excedit, ab infidelis seculi homuncionibus credi nequit, cum assensum divinis revelatis praebere non nisi donum fidei divinitus infusae sit.[5] Deus enim sibi et creatae humanae naturae individuae unam utrique communem personam ita fecit,[6] ut Christi humanitas absque propria humanaque hypostasi ad divinitatem usque vere efferretur. Ad quod opus mirabile perficiendum, quo maius ne cogitari quidem potest, idem sibi Deus Filius elegit matrem, a qua homo factus nasceretur tempore. Mariae igitur Virginis persona humana ad eam usque excelsitatem[7] elevata est, qua eundem, qui Patris Filius aeternus verusque Deus creditur, suum quoque filium naturalem

---

[1] Ib. cap. 4 (n. 1678–83).
[2] Syllab. Pii P. IX. § 5 n. 24 (Denz. n. 1572).
[3] Conc. Vatic. l. c. cap. 3 (n. 1673).
[4] Cf. Turrecremata: S. de Eccl. lib. 2 c. 113 (f. 263) et 114 (f. 265 vo).
[5] Ev. Ioan. 6, 65.
[6] Cf. Caietanus: in S. th. 3 qu. 1 a. 1 § in 3. consequentia.
[7] Cf. D. Thomas: S. th. 3 qu. 27 a. 5. Alexius M. Lépicier: Tractatus de B. V. Maria Matre Dei. Parisiis 1901. P. I c. 3 a. 1 schol. I, p. 66 sq.

verumque hominem factum gigneret: quare ipsa sancta Deigenitrix primo gradu consanguinea Dei Verbi incarnati effecta est. Post hanc vero dignitatem maternitatis divinae ipsa Pontificis Romani maiestas proxime sequitur.[1] Namque Christus homo Deus dignitate semet cum hoc homine Petri successore copulat, participans plenissimam potestatem, quae propria est Mediatoris inter Deum et homines atque universi Redemptoris, cum illo homine prae ceteris selecto, quem in intimam societatem commerciumque non solum Ecclesiae, sed ipsius capitis principalis assumpsit, ut idem sacerdos summus creatus non sua, sed divina Christi potestate ipsum corpus Christi mysticum, quod supra verum eiusdem Christi corpus construitur, absolute regeret. Quo certe nihil altius, dignius diviniusque post splendorem Matris Dei inveniri potest. Sicut enim humanitas Christi est quasi instrumentum animatum coniunctumque divinitatis, quae propria Filii est; simili quoque modo Pontifex M. dici potest primarium instrumentum humanum animatumque ipsius Verbi incarnati ac divinitatis, quacum coniunctus est auctoritate vicarii universa. Recte igitur Papa a S. Catharina virgine Senensi alter Christus appellabatur. Nec tanta dignitas atque auctoritas in indigno quoque Petri herede unquam cessabit.

Habet autem pontificia maiestas aliam quoque praestantiam, qua cum sacratissimo Trinitatis mysterio coniungitur. Etenim Patri aeterno, summo rerum principio, potentia, quia ipsa principium agendi est, maxime accommodatur et adaptatur ad eiusdem personam similitudine magis manifestandam.[2] Ab ipso autem sacro principatu, quem Episcopus Romanus tenet, tota fidelium familia a Christo condita eo uno vinculo coniunctionis et concordiae connectitur confirmaturque, quo unus paterfamilias auctoritate domestica uxorem filiosque regit et moderatur. Quae patria potestas ab eodem Pontifice in Ecclesia tum exercetur magisterio, quo filii in fide generantur et roborantur, tum imperio, quo iidem Dei filii adoptivi et cohaeredes Christi gubernantur. Quod ius paternum ab ipso Patre divino, ex quo omnis potestas in coelo et in terra nominatur,[3] tamquam ab exemplari perfectissimo pendet, cui hac propria ratione Pontifex M., qui pater Ecclesiae universae dicitur,[4] consimilis videtur esse. Sed etiam divini Filii, cui ab origine sapientia tribuitur,[5] similitudinem idem summus

[1] Cf. Palafox l. c. lib. 2 c. 6 (T. I p. 169).
[2] D. Thomas: S. th. 1. qu. 39 a. 7 et 8. Cf. Caietanus h. l. a. 7.
[3] Ep. ad Eph. 3, 15. Cf. ep. Iacobi I, 17. Sap. 14, 3.
[4] Turrecremata: S. de Eccl. lib. 2 c. 86 (f. 218 sq.).
[5] D. Thomas: S. th. 1 qu. 39 a. 8c.

sacerdos habet, qui ad docendam veritatem supremus certissimusque magister missus illam Dei Sapientiam apud homines repraesentat iudicando. Nec manifestatio Sancti Spiritus, qui flamen divinissimus a Patre per Filium procedens[1] in mundum missus est, a munibus praesidis Romani abesse poterit, quem aeque in Ecclesiam missum ea bonitate, quae illum Dei Amorem ostendit,[2] Ecclesiam conservare gubernareque ex officio oportet.

Quae cum ita sint, principatus, quem apostolicus Pontifex tenet, cum duobus primariis fidei mysteriis maxime ac necessario cohaerere probatur. Itaque nemo catholicus, qui fidem in Christum verum Dei Filium et in sponsam eiusdem uxorem Ecclesiam vere fovet, extollere potest, quantum sat erit, auctoritatem summi Pontificis, cuius tanta in Christo maiestas. Nam quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei[3]: ergo nemo scrutari valet abscondita Christi atque Ecclesiae, quae ipsa est plenitudo Christi ab antistite Romano exhibenda et perpetuanda. Quare qui fidem sincere servat, non solum Pontifici Maximo patri regique obediat oportet, sed etiam summa cum reverentia atque honore rarissimo eum tamquam divini quid, quo ipse Deus attingatur, necesse est prosequatur, eique amore plane singulari et coelesti adhaereat quam firmissime. Imo devotio erga Romanam Sedem a theologis gravibus indicium iudicatur, ex quo spes adipiscendae felicitatis aeternae pia cum fiducia in animis nutriatur.[4] Sin autem Romanum Pontificem parvi aestimaverit, hoc signo defectionem fidei ac salutis periculum eum iam prodidisse dixeris. Constat enim, quicunque Christum verum Deum denegaverint et Ecclesiam male oderint, idem odium in Romanum Pontificem concepisse eiusque imperio restitisse: nam sicut Ecclesia a Christo Deo non separatur, nec summus Pontifex ab eadem Ecclesia neque ab ipso Christo secernendus est.

Nae vobis considerantibus constitutionem Ecclesiae, quam enarravimus, auditores, patefactus est locus ipse, unde cognoscatis, ad qualem et quantam dignitatem ante hos viginti et quinque annos Ioachimus Peccius Carpeanus fuerit evectus. Quem si a puero inspicere vultis, prae ceteris hominibus in singularem custodiam providentiae, qua mundus regitur, positum probari mihi quidem persuasum est: quia, quo maius pro bono communi Ecclesiae negotium alicui magistratui mandatur, eo magis proprias in

[1] Ib. qu. 36 a. 3c.
[2] Ib. qu. 39 a. 8c.
[3] Ep. 1 ad Cor. 2, 11.
[4] Laur. Janssens: Praelectiones de Deo uno. T. II. Romae 1899 p. 487.

eum virum curas Deus providus utilitatum opportunitatumque omnium conferre solet. Etenim puer, bonam nactus animam atque indolem praeclarissimam, parentibus Ludovico Peccio et Anna Prosperia nobilibus piissimisque ortus a. d. VI. Non. Mart. a. 1810., octo annos natus Viterbium missus sub tutela patrum e Societate Iesu ea literarum humaniorum disciplina utebatur, quae oratorem, poetam scriptoremque latinissimum (quem Hieronymus vocat) omnibus numeris absolutum formaret. Deinde in florentissimo Atheneo Gregoriano Urbis philosophiae et theologiae operam ea dabat industria, quam solemni disputatione peracta ita probavit, ut omnes in sui admirationem traheret et viginti annos natus laurea condecoraretur. Quibus scientiarum studiis adscriptus Academiae nobilium ecclesiasticorum ea quoque, quae ad rempublicam administrandam atque ad sacros magistratus ineundos pernecessaria videntur, prospero eventu addidit. Omnibus autem modis in sana traditione rerum et divinarum humanarumque addiscenda strenue et constanter desudavit, moribus purissimis proprio ex Dei beneficio intentus. Quod cum literarum studium longo vitae spatio nunquam ne senex quidem intermitteret, iuvenis valde studiosus ac diligens inter doctores sui temporis praestantissimus amplissimusque evasit, qui munus supremi in Ecclesia magistri aliquando expleturus esset. Quare haec, quae auctor Ecclesiasticus de viro sapienti praedicavit, in Ioachimum adolescentem plane bene quadrant: Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens et in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit et in versutias parabolarum simul introibit. Occulta proverbiorum exquiret et in absconditis parabolarum conversabitur.[1]

Quibus iam a prima iuventute ad maiores causas publicas sustinendas praeparatus, ante susceptum sacerdotium a Gregorio XVI. P. M. inter antistites urbanos domus pontificalis a. 1834. connumeratus, iam a. 1838. gubernator provinciae gravis Beneventanae et mox alterius Perusinae, quas summa cum laude rexit, constitutus est. Propter probatam prudentiam in sacro Consistorio habito a d. VI. Kal. Febr. a. 1843. Archiepiscopus Damiatensis nominatus et consecratus, ad regem Belgarum Nuntius Sedis Apostolicae missus iura Ecclesiae strenue asseruit. Itaque haec quoque verba sacri scriptoris, quae sequuntur, de sapienti nostro vere dicta inveniuntur: In medio magnatorum ministrabit, et in conspectu praesidis apparebit. In terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim et mala in hominibus tentabit.[2] Post

[1] Ecclesiastici 39, 1—3. [2] Ib. v. 4—5.

triennium reversus in patriam a. 1846. ab eodem Pontifice M. in sacro Consistorio a. d. XIV. Kal. Febr. habito ad sedem Perusinam promotus, provinciam, quam olim magistratus optime administraverat, episcopus sanctissimus per duos et triginta annos ingenti cum fructu animorum rexit.

Tum vero ad maiestatem summi ordinis iam divinitus praelatus, a Pio IX. P. M. felicis memoriae sacro Collegio Cardinalium adscriptus in Consistorio habito a. d. XIV. Kal. Febr. a. 1853., S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo S. Chrysogoni renuntiatus et a d. XI. Kal. Oct. a. 1877. Camerarius S. R. Ecclesiae nominatus est. Cui ipse Pius iam fere moriturus divinatione quadam amplissimos post mortem suam honores nuntiaverat, a. d. X. Kal. Mart. a. 1878. Pontifex Maximus electus Leo XIII. huius nominis ipse sibi hanc rationem vitae in pontificatu degendae decrevit scilicet: oblata quotidie piaculari hostia arctius Deo adhaerere, curandaeque hominum saluti sempiternae studiosius in dies vigilanti animo adlaborare.[1] Complevit igitur id, quod de sapienti viro scriptum est: Ipse palam faciet disciplinam doctrinae suae et in lege testamenti Domini gloriabitur.[2]

Quamquam nullum genus vitae est, de quo augustus Pontifex non sit optime meritus, qui angustissimis temporibus vehementissimisque tempestatibus in sede Principis Apostolorum gubernator clavum Petrinae navis arte regebat velisque ministrabat per tot annos in confinio duorum seculorum volutos; tamen doctor natus Ecclesiae atque supremus legum inventor immortalibus laudibus maxime dignus habebitur apud posteritatem. Captus enim in Urbe ab inimico dominatu, impeditus quidem erat, quominus civilem S. Sedis principatum ipse libere curaret. Sed maiori cum sollicitudine defensor iuris et libertatis sollertissimus necessitates omnium ecclesiarum complexus, et status civilis et societatis humanae conditiones diversissimas sapientissimis legibus decretis monitis consiliisque ordinare promovereque in melius nunquam cessavit. Qui satis habuit negotii in sanandis vulneribus gravissimis, quae sunt imposita Germaniae, cum arbiter eligeretur inter idem imperium et Hispaniam et postea inter respublicas Americae, pacem operatus est, multumque rebus Gallicis consuluit, et iura sanctissima Sedis Apostolicae cum perpetuitate et constantia defendit praesertim in rei Italicae publicae cum Ecclesiae dissidio, quo Pontifex exuitur principatu iusto ac legitimo et cum libertate sui muneris coniuncto.[3] Salvum et incolume Sedis Apostolicae ius

[1] Leonis XIII. Inscriptiones et Carmina. Ratisbonae 1877 p. 36.
[2] Ecclesiastici 39, 11.
[3] Alloc. Consist. Prope iam a. 1900 (De civili principatu Romanorum

esse voluit: illudque nec productione temporis nec possessorum successione intercidere aut minui ullo modo posse,[1] saepissime testatus est.

Ut cetera omittamus, ne longum sit, tantum de literis plurimis dicam, quas venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis universis catholici orbis, gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus, auctoritate supremi magistri scripsit. Quibus encyclicis literis fere summam, quam dicunt, scientiarum omnium et philosophiae et theologiae fide revelata illustratarum exhibuit, dignus, qui ex sanctitate et ubertate doctrinae cum sanctis veteribus Ecclesiae patribus, cum Leone, Gregorio, magnis Pontificibus reliquis comparetur. Quarum si ordinem argumenti potius quam temporis, quo scriptae sunt, consideramus, primum quidem apologiam perfectissimam Ecclesiae confecit. Ea enim epistola, quae a verbis Inscrutabili Dei incipit, spectatis Romani Pontificatus operibus, Ecclesiam esse matrem humanitatis civilis ostendit; altera autem letiferam socialismi pestem, quae per artus intimos humanae societatis serpit, salutari Ecclesiae virtute repelli posse probavit; tertia vero sectam Massonicam et alias consimiles ab Ecclesia iure damnandas docuit. Aliae literae ad ipsum Ecclesiae munus exponendum pertinent. Quarum celeberrima encyclica incipiens a verbis Aeterni Patris restitutionem universam scientiarum ad normam sanctorum Patrum intendit, qua concordiam inter perennem philosophiam fidemque divinam demonstravit ac summum magistrum D. Thomam Aquinatem non solum exemplum proposuit, sicut quibusdam iunioribus omnia scalpentibus placuit, sed ducem tutissimum ac patronum omnibus catholicis scholis propter ipsam doctrinam proposuit, quam et saniorem et magisterio Ecclesiae conformiorem pronuntiavit, confirmatis plurimorum Pontificum Maximorum decretis. Quare episcopos omnes quam enixe adhortatus est, ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum, aurea S. Thomae sapientia restitueretur et quam latissime propagaretur.[2] Quod studium s. theologiae postea ad res biblicas quoque promovendas profluenter extendit. Tum ad fidem catholicam propagandam de schismate, de haeresi et de infidelium hominum conditione literas promulgavit. Denique internam Ecclesiae vitam religiosam reparavit promovitque in melius,

---

Pontificum. Excerpta ex actis Pii IX et SS. D. N. Leonis Papae XIII, Romae typis Vaticanis 1901, n. CXXXII, p. 176.

[1] Ibid. — Cf. Enrico M. Pezzani: I veri termini della Questione Romana. Romae 1896.

[2] Encycl. Aeterni Patris l. c. 1. ser. p. 97.

additis epistolis de instaurando tertio ordine S. Francisci et de Rosario Beatissimae Virginis, quibus magnam partem theologiae Marianae profunde explicuit et aptissime illustravit. Tum vero nova serie literarum gravissimarum ad instar legum conditarum ipsam hominum societatem reficere proposuit. Tractavit enim de matrimonio, quod est convictus domestici principium et fundamentum, de imperio politico, de libertate humana, quae praestantissimum naturae bonum est, de civitatum constitutione christiana, de conditione opificum aliisque rebus magni momenti. Imo ad ipsos principes populosque universos scripsit, quos ad unam fidem divinam evocavit. Sed longum est omnia explicare. Quibus scriptis auctor excellens praestantia omnium rerum leges immortales pro futuro tempore hominibus ita dedit, ut opus suum posteritate crescere sentiret.

Itaque vos, auditores, providentiae divinae beneficia gratissimis animis admiramini in Leonis rebus gestis, qui ad arganthoniacam usque aetatem eum et mentis et corporis incredibilem roborem servavit, quem praesentem adhuc sentire gaudemus. Neque hoc absque ratione dixi contra eos, qui curam Dei in tuenda Ecclesia despicientes omnia ad modum naturalium virium metiri malunt. Est enim longa vita Pontificum, quo rarior eventus sit, mirabilius Dei opus ad conservandam Ecclesiae rectitudinem patratum, quo certius consilia optima ad finem perducantur. Quare gravissimis Ecclesiae temporibus longam Pii IX. aetatem alterum tam longum spatium Leoninum ad bonum commune perficiendum subsequi creditur. Ac profecto miracula divina hoc nostro quoque aevo videntur non deesse: imo quo magis Ecclesia per secula proficit, maioribus donis, beneficiis, sanctis viris a divino rectore illustrabitur, quia crescente hereditario malorum odio multiplicatisque inimicis augeri etiam divinum auxilium oportet.

Agedum, haec dies est, quam fecit Dominus: exultemus et laetemur in ea. Cuius sol rutilus gaudet, quod lucem immensi mundi dedit publicam. Exultant septem celsi colles Urbis prae gaudio, excitatque sacri aeris sonus incolas felicissimos ad festum regis regum concelebrandum. Adest coetus eminentissimorum Cardinalium amplissimus, qui sacra purpura ornati fidem Christi et iura S. Sedis ad sanguinem usque tueri vovere. Adest antistitum ex toto orbe collectorum numerus frequentissimus, qui seni Leoni, a quo potestatis mandatum accepere, maiestatem reddunt. Urbs desolata hodie peregrinis plena est, qui undequaque in communem omnium patriam ad patrem acclamandum ex dissitis quoque terris affluxere.

Age, laetare, stirps prisca Pecciorum Comitum, ornata sanctis

et illustribus posteris: nam quem summum genuisti filium, ad summum gloriae fuit promotus. Gaude, civitas Lepinorum montium, gaude o gaude Carpinetum: ex te enim minimo oppido servator generis humani, princeps pacis prodiit. Nec tu, Italia vetus, terrarum pulcherrima, silere prae communi laetitia poteris: civis tuus, qui patriae amore maximo afficitur, summum populorum tenet imperium. Tu vero, civitas aeterna, mundi caput, o Roma felix, hodie depone lugubres vestes: etsi rex tuus solio privatus est, adhuc senex imperator iuribus non cessit avitis, et securus corda regit hominum rex maximus, quem delicias generis humani appellant. Tempora quidem mutantur, sed urbs aeterna a Petro stabilita nunquam mutabitur, cui hodie lumen de coelo affulsit Leo alter maximus Pontifex, qui laudes immortales tuis, Roma, annalibus addidit. Non recedet memoria eius, et nomen eius requiretur a generatione in generationem.[1] Sapientiam eius enarrabunt gentes, et laudem eius enuntiabit Ecclesia.[2]

Laudibus virum, pueri, dicate,
Quem Deus sacrum celebremque fecit:
Quem Leonem quolibet ore sanctum
Concelebrate.

Nemo maior quam prior inter omnes
Hic sacerdos, quem Sator ipse rerum
Legit, ut donis cumularet aras
Conciliatas.

Fungitur regis bene iudicisque
Munibus, verique vigil magister
Agmen edocet, populumque servat
In prece totus.

Te Deus praestet, pater, usque nobis,
Augeat tibique dies salute:
Ipse Petri te decoravit almi
Principis annis.

Ter Leoni cum pueris quaterque
Vota vos, viri, bona nuncupate
Pro triumpho: personat urbs et orbis
Carmine festo.

Tuam, Leo augustissime, praesentiam rogamus, tuam sapientiam, clementiam virtutesque omnes. Tui loci, tuae vitae, tuae mentis est, quod mereris. Te diligimus, te principem facimus. Deus te perpetuet. Salva Roma, salva Ecclesia, salvus est Leo. Ne nos, pater, deseras quaesumus: aut cui nos desolatos relinques? invadent enim gregem tuum lupi rapaces. Si adhuc populo tuo es necessarius, non recusabis laborem. O virum incomparabilem, nec labore victum nec morte vincendum, qui nec mori timet nec vivere recusat![3] Quibus autem verbis patres conscripti Concilii Chalcedonensis olim priorem Leonem acclamavere, nos quoque omnes nostrum acclamemus: Leo sanctissimus apostolicus et universalis patriarcha per multos annos vivat. Io triumphe!

[1] Ecclesiastici 39. 13. [2] Ib. v. 14.
[3] Cf. Breviar. Rom. Officium S. Martini C. P.